

tus, cum 1655. Doctor Argentorati renunciatus esset, ad Professionem jurid., quæ fuerat D. Schnobelii, à Senatu Rostochiensi vocatus est. Quapropter per aliquot saltem menses in Gallia commoratus, perque Brabantiam, Flandriam, Hollandiam aliasque provincias Rostochium reversus Professoriâ spartâ susceptâ publicum docendi munus aggressus est. Quantô verò opere de Academia hac nostra meritis fuerit à primis inde Professionis suæ initiis ad finem usque vitæ, D. Jac. Lembkenii verbis ex Programm. funebri repetitis, quam meis, eloqui præstat. Ità verò ille: *Docendi disputandique molestias magno animi prolubio subiit non solum, sed & fortis pectore tantâque sedulitate sustinuit, ut si æquæ rerum æstimatores adsint, meritissimo jure suo vel maximis ob id encomiis dignus sit, sibi que de plurimis talibusque etiam discipulis, qui partim in hac nostra aliisque Academicis, partim etiam in variarum civitatum curiis, quin Principum quoque & Electorum Regumque aulis ad splendidissima officia proveci, Reip. utiliter inserviunt, habeat gratulari.* Et rursus: *Ità de Academia, de Jprudentia, de politiore literatura studiosaque juvenute meritis Noster est, ut si quis hoc in capite vel minimum memoriæ ipsius debitisque laudibus detractum cuperet, in ipsam Academiam, in ipsa jura legesque, imo in ipsas literas ac juventutem Academicam injurius videretur.* Tantorum in Academiam Rostoch. meritorum famâ Illustrum Redekerum nostrum illustres etiam honorum Tituli consequentur. Non enim solum 1662. ex Collegio Senatorio in Ducale à Sereniss. Duce Christiano Ludovico translatus, sed & insuper Consistorii Consiliarius constitutus, imo & cum in publicis legationibus arduisque negotiis aliis Principi industriam, fidem & dexteritatem sæpissimè probasset, in numerum Consiliariorum Aulicorum & Ann. 1677. Intimorum ac Status Consiliariorum receptus est. Ne dicam, quod & Regi Daniæ aliquot per annos à Consiliis fuerit & jussu ejusdem ad Comitata circularia Brunsvigæ 1673. celebrata iverit; illud duntaxat, quod ad merita huic Academiae præstita pertinet, persequar. Rectorale munus magnificum sexies, Annis 1660. 1666. 1673. 1675. 1676. 1679. sustinuit. Præterea & Decanali munere fungens merita sua in Academiam multiplicavit. Quo nomine in Progr. jam cit. sequenti mactatur elogio à D. Lembkenio: *In negotiis expediendis Redekerus erat expeditissimus, in causis perorandis eloquentissimus, in consulendo*